

OFFICIA PROPRIA  
DIŒCESEOS  
OSNABRUGENSIS

PARS AUTUMNALIS

Die 17 Septembris  
S. HILDEGARDIS

Virginis  
Duplex

IN I VESPERIS

Capit. 2 Cor. 10, 17-18

**F**ratres: Qui gloriatur, in  
Dómino gloriétur. Non  
enim qui seípsum com-  
mendat, ille probátus est: sed  
quem Deus commendat.

Hymnus

**S**alve, nostra tu glória,  
Exémplar es quæ Virgi-  
num!

Audi benígna súpplices  
Tibi canéntes cánticum.

O virgo, quæ mirábilis  
Vixísti amóris víctima,  
Et nunc beáris fúlgidis  
Cæli recépta sédibus.

Vitæ per æquor túrbidum  
Tuos cliéntes dírige,  
Nobisque amicum cómpara,  
Cui te revínxit grátia.

Sicut dolos intérrita  
Vicísti, et artes hóstium,  
Et robur in discrímine  
Sumens, nitébas púlchrrior:

Sic bella nos quot íngruunt  
Da, te favénte, fúndere,  
Virtútis almæ ac sémitam  
Vultu seréno cúrrere.

Alat repóstam méntibus  
Fidem supérna caritas;  
Mores adórnet áureos  
Intemeráta cástitas.

\*Summo Parénti ac Fílio  
Tibíque, Sancte Spíritus,  
Sit laus, potéstas, glória,  
Per sempitérna sácula.  
Amen.

**V.** Spécie tua et pulchritu-  
dine tua. **R.** Inténde, prospere  
procéde, et regna.

**Ad Magnif. Ant.** Hildegár-  
dis prophetíssa, \* Spíritus  
Sancti splendóribus illustrá-  
ta, vias Dómini revelávit.

Oratio

**D**eus, qui beátam Hildegár-  
dem Virginem tuam do-  
nis cæléstibus decorásti: trí-  
bue, quæsumus; ut, ejus ves-  
tígiis et documéntis insistent-  
tes, a præsentis sáculi cali-  
gine ad lucem tuam delectá-  
bilem transire mereámur. Per  
Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Ss. Cor-  
nelii Papæ et Cypriani Ep., Mm.:

**Ant.** Gaudent in cælis áni-  
mæ Sanctórum, qui Christi  
vestigia sunt secúti: et quia  
pro ejus amóre sánguinem  
suum fuderunt, ideo cum  
Christo exsúltant sine fine.



**V.** Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábuntur in cubilibus suis.

**Oratio**

**B**eatórum Mártyrum paritérque Pontíficum Cornelii et Cypriáni nos, quæsumus, Dómine, festa tueántur: et eórum comméndet orátio veneránda. (Per Dóminum.)

*Deinde Commemoratio Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.:*

**Ant.** Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

**V.** Signásti, Dómine, servum tuum Franciscum. **R.** Signis redemptionis nostræ.

**Oratio**

**D**ómine Jesu Christe, qui, frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatissimi Francisci passiónis tuæ sacra Stigmata renovásti: concéde propítius; ut ejus méritis et précibus crucem júgiter ferámus, et dignos fructus peniténtiæ faciámus: Qui vivis et regnas.

**In II Nocturno**

**Lectio iv**

*E Breviario Monastico Ordinis S. Benedicti*

**H**ildegárdis in Palatinátu inferioré, ex patre Hildeberto, matre Mechtilde, géneris nobilitáte ac pietátis fama conspicuis orta, ténera ac ætáte miris jam visiónibus

illustráta désuper, spretis mundi hujus oblectaméntis, octénis sub regímine agnátæ suæ Juttæ, sanctissimæ Abbatissæ, in montem sancti Disibódi consepeliénda Christo secéssit. Monásticum dein institútum proféssa, admirándis paulo post divínæ grátie signis innóuit. Continuo fere acutissimis excócta ægritudinibus, paciéntiæ exéplum ita univérsis exhibuit, ut tota ipsius vita Christo confixa cruci, quædam diútini fuerit imágo martýrii. E vivis sublata beata Jutta, Hildegárdis licet renitens in ejus loco suffécta est. Quo in múnere sorórum necessitatibus ómnibus, earum máxime quæ consciéntia utcúmque laborábant, peramánter providéque consulébat. Cum autem ejus monastérium nímiã moniálium numerositátem ut cáperet, jam esset insufficiens, ad álium montem, a sancto Ruperto nuncupátum, cum plúrimis ex illis conténdit, ibique sedem fixit Abbatialem. Quadraginta circiter annos nata igneo túrbine ac lúmine prodigióso cælitus illápsø mirífice illustráta, donum intelligéntiæ ac expositiónis sacrárum Scripturárum singuláři Dei beneficio accépit. Jussa item, voce ad ipsam e súperis emissa, quæ de cétero vidére et audire mererétur, sédulo scriptis mandáre, cum id detrectáret, a Númine có-

gitur. Scribere proin aggressa, de posteritáte omni ætérnum méruit: libros quippe confécit exímios ac plane cælestes, ex quibus eam a Spírítu Sancto edóctam fuisse dignóscitur.

**R.** In caritáte perpétua diléxit Hildegárdem Dóminus: ideo attráxit eam ab infántia, et duxit in solitúdinem: \* Et locútus est ad cor ejus. **V.** Sponsávit eam sibi in sempitérnum in fide et in misericórdia. **Et.**

**Lectio v**

**P**rophetiæ affláta spírítu, multis ad se ex diversis et remotissimis regiõnibus confluentibus mira omnino prædicébat, eorúmque cogitátiõnes et occultióra córdium secréta inspiciébat: quosdam étiam perversa vel fraudulénta mente ad se accedéntes redarguébat; qui corrépti et emendáti, ad saniórem ánimum illico redíre cogébántur. Nemo ad illam umquam se cóntulit, qui ejus salutáribus mónitis instrúctus, cum vitæ melióriis propósito non recésset. Divino intérea sápius impúlso Spírítu, Colóniam, Trévirim, Metas, Herbípolim, Bambérgam, aliáque loca diversíssima, apostólico zelo exæstuans ádiit, et quæ sibi divínitus fúerant reveláta, Deo præcipiénte audéntissime annuntiávit. Hæréticos verbis ac scriptis stupénda auctori-

táte et grátia confutávit ac profligávit: Catharórum imprimis pestilentíssimam hæresim, quæ tunc in aliquibus Germániæ provinciis fautores suos habébat, nec non repululascéntem Berengárii errórem doctissimo libro sanctíssima mulier elúsit atque convicit. Illam mellifluus Doctor Ecclésiæ sanctus Bernárdus tanti fecit ejúsque divína scripta ea prosecútus est veneratiõne, ut ipso potíssimum agente a detractiõnibus adversántium vindicáta, étiam a Summo Pontífice Eugénio tértio, in Concílio Trevirénsi, Cardinálibus et Episcopis multis præsentibus, pública fúerint senténtia confirmáta.

**R.** Placébat sibi in infirmitatibus et angústiis pro Christo: \* Et váriis licet languóribus vexáta, ómnibus, qui in pressúra erant, caritátis solátium impendébat. **V.** Cum infirmabátur, tunc potens erat. **Et.**

**Lectio vi**

**E**cclésiæ dénique univérsæ, assídus laboribus, et sanctissimæ vitæ exémplo mirum in modum consúluit; ita nempe ut Eugénius tértius, tresque subsequéntes Románi Pontífices, Episcopi non pauci, Imperatóres, aliique summi Príncipes Gállia, Germániæ, Itáliæ, atque sanctissimi quivis et eruditíssimi viri, in gravissimis quibúsque



negótiis, illius consilium exquirere, ejusque precibus Románam Ecclesiám, Impérium, et suam quisque provinciam ac seipsum commendarent; denique post innúmera virtútum ac scientiæ divinitus infúsæ insignia, cælestium revelatiónum et miraculorum grátia illústris, anno ætátis suæ octogésimo secúndo, cum mortis suæ horam a Deo mónta prædixisset, migrávit ad Sponsum décimo quinto Kaléndas Octóbris, anno Dómini millésimo centésimo septuagésimo nono: vere ac mérito ingens vocáta sexus muliébris, immo Germániæ, Ordinis sancti Benedícti et Ecclesiæ miraculum, atque orbis univérsi oráculum. Ejus sacrum corpus in ecclesiá primum sancti Rupéрти juxta Bingam cónditum, dein bello tricennáli Colóniam asportátum, postrémo in Ecclesiám Eibingénsis monastérii ab ipsa fundáti translátum est, ubi anno salutis millésimo octingentésimo quinquagésimo séptimo solémniter recógnitum, summa fidélium veneratióne cólitur.

**R.** Apparuerunt cælestes spíritus, qui Hildegárdem ad Agni nuptias invitábant, dicentes: \* Veni, Dómina, quia te exspéctant cæli deliciæ. **V.** Veni de Líbano, sponsa; veni de Líbano; veni, coronáberis. **Veni.** **G**lória Patri. **Veni.**

### In III Nocturno

Lectio sancti Evangelíi secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 25, 1-13

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cælórum decem virginibus: quæ accipientes lámpades suas, exierunt óbviam sponso et sponsæ. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini  
Episcopi

De S. Virginit. c. c. 25, 29, 30

**P**érgite itaque, Sancti Dei, púeri ac puéllæ, mares ac femínæ, cælibes ac nuptæ; pérgite perseverátes in finem. Laudáte Dóminum dulcius, quem cogitátis ubérius; speráte felíciter, cui servitis instántius; amáte ardéntius, cui placetis attentius. Lumbis accinctis et lucernis ardéntibus exspectáte Dóminum, quando véniat a nuptiis. Vos afferetis ad nuptias Agni cánticum novum, quod cantábitis cítharis vestris, quale nemo póterit dicere nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalýpsi quidam, præ céteris diléctus Agno, qui discumbere super pectus ejus sólitus erat, et bíberat et eructábat mirabilia super cælestis Dei Verbum. Vos Agnum sequimini tenéndo perseveránter quod volústis; ardénter fácite cum potéstis, ne virginitátis bonum a vobis péreat, cum fácere nihil potéstis, ut rédeat. Vi-

débit vos cétera multitúdo fidélium, quæ Agnum ad hoc sequi non potest; vidébit, nec invidébit, et collatádo vobis, quod in se non habet, habébit in vobis.

**R.** Cum beáta Hildegárdis veheménter cúperet dissólvi, et esse cum Christo, apparuit ei Sponsus, quem diligébat: \* Qui eam ad cælestem thálamum tradúxit. **V.** Quæ est ista, quæ ascendit de desérto, delíciis áffluens, inníxa super diléctum suum. **Qui.**

### Lectio viii

**P**ræsúmte itaque, fídite, roborámini, permanéte, qui vovétis et rédditis Dómino Deo vestro vota perpétuæ continentiæ, non propter præsens sæculum, sed propter regnum cælórum. Vos étiam, qui hoc nondum vovistis, qui potéstis cápere, cápite; perseveránter cúrrite, ut comprehendátis. Tóllite hóstias quisque suas, et introíte in átria Dómini, non ex necessitate, sed potestátem habéntes vestræ voluntátis. Cogitáte quidquid illud est: In muro ejus locum nominátum, meliorem multo quam filiórum atque filiárum. Cogitáte illic nomen ætérnum. Quis explicat quale nomen erit? Quidquid tamen erit, ætérnum erit. Hoc credéndo et sperádo et amándo potuístis conjúgia, non devítare prohibita, sed transvoláre concéssa.

**R.** O Sponsa Christi nobilis! O mater venerabilis! intercéde pro nobis ad Dóminum, Regem Angelórum, quem semper puro corde diléxisti, in cujus amplexibus sine fine pérmanes: \* Ut remíttat nobis ómnia, quacúmque in ipsum peccávimus: **V.** Tribuens nobis fervórem amoris sui sanctíssimi, et post hoc exsílium mansiónem cælestis habitáculi. **Ut.** **G**lória Patri. **Ut.**

In Feriis Quatuor Temporum  
Lectio IX de Homilia Feriæ et fit ejus Commemoratio in Laudibus tantum; alias

Pro Impressione Ss. Stigmatum  
S. Francisci Conf.:

### Lectio ix

**F**ranciscus singulári privilégio retroáctis sæculis non concéso insignitus apparuit, cum sacris Stigmatibus decorátus descendit de monte, secum ferens Crucifixi effigiem, non in tábulis lapideis vel lígneis manu figurátam artificis, sed in cárneis membris descriptam dígitó Dei vivi. Quóniam sacraméntum regis seráphicus vir abscondere bonum esse óptime norat, secreti regális cónscius, signácula illa sacra pro viribus occultábat. Verum, quia Dei est ad glóriam suam magna reveláre quæ facit, Dóminus ipse, qui signácula illa secreté impresserat, miracula quædam apérte per ipsa monstrávit; ut illórum occúlta et mira vis Stigmatum manifestá patéret



claritate signorum. - Porro rem admirabilem ac tantopere testatam atque in pontificiis diplomatis precipuis laudibus et favoribus exaltatam, Benedictus Papa undecimus anniversaria solemnitate celebrari voluit: quam postea Paulus quintus Pontifex Maximus, ut corda fidelium in Christi crucifixi accenderentur amorem, ad universam Ecclesiam propagavit. Te Deum laudamus.

## AD LAUDES

V. Diffusa est gratia in labiis tuis. R. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Ad Bened. Ant. O dignissima Christi sponsa! \* quam lux prophetiae illustravit, zelus apostolicus inflammavit, laurea virginum coronavit, divini amoris incendium consummavit.

## Oratio

Deus, qui beatam Hildegardem Virginem tuam donis caelestibus decorasti: tribue, quaesumus; ut, ejus vestigiis et documentis insistentes, a praesentis saeculi caligine ad lucem tuam delectabilem transire mereamur. Per Dominum nostrum.

Et fit Commemoratio Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.:

Ant. Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te con-

stituam, intra in gaudium Domini tui.

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas. R. Et ostendit illi regnum Dei.

## Oratio

Domine Jesu Christe, qui, frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne beatissimi Francisci passionis tuae sacra Stigmata renovasti: concede propitius; ut ejus meritis et precibus crucem jugiter feramus, et dignos fructus poenitentiae faciamus: Qui vivis et regnas.

Vesperae a Capitulo de S. Josepho a Cupertino Conf. ut in Breviario.

Et fit Commemoratio praecedentis:

Ant. Subveni nobis, Hildegardis virgo sanctissima, aeterni regis sponsa, in cujus aula splendescis sicut stella fulgentissima.

V. Diffusa et Oratio Deus, qui beatam, ut supra.

Deinde Commemoratio Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.:

Ant. Hic vir despiciens mundum et terrena, triumphans, divitias caelo condidit ore, manu.

V. Signasti, Domine, servum tuum Franciscum. R. Signis redemptionis nostrae.

Oratio Domine Jesu Christe, ut supra.

Die 26 Septembris

In Ecclesiis consecratis tantum, excepta Cathedrali:

IN DEDICATIONE  
PROPRIAE ECCLESIAE

Duplex I classis cum Octava communi

In Festo omnia de Communi Dedicationis Ecclesiae; omittitur Commemoratio simplicis (Ss. Cypriani et Justinae Virginis, Martyrum), sed in II Vesperis fit Commemoratio sequentis (Ss. Cosmae et Damiani):

Ant. Istorum est enim regnum caelorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad praemia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

V. Laetamini in Domino et exultate, justi. R. Et gloriamini, omnes recti corde.

## Oratio

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut, qui sanctorum Martyrum tuorum Cosmae et Damiani natalitia colimus, a cunctis malis immimentibus, eorum intercessionibus liberemur. Per Dnm.

In Ecclesiis non consecratis et in Cathedrali hac die fit de Ss. Cypriano et Justina Virgine, Martyribus (simplex).

Diebus 27, 28, 30 Septembris et 2 Octobris fit Commemoratio Octavae, juxta Rubricas, ut infra.

Infra Octavam et in die Octava Antiphonae et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturno-

rum de occurrenti hebdomadae die ut in Psalterio; reliqua ut in Festo praeter Lectiones, quae in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsorii de Tempore, in II et III pro singulis diebus in Breviario assignantur propriae.

PRO COMMEMORATIONE  
OCTAVAE DEDICATIONIS  
in Ecclesiis consecratis tantum, excepta Cathedrali:

## IN I VESPERIS

Ant. Sanctificavit Dominus tabernaculum suum: quia haec est domus Dei, in qua invocabitur nomen ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dominus.

V. Haec est domus Domini firmata aedificata. R. Benefundata est supra firmam petram.

## Oratio

Deus, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecrationis reparas diem, et sacris semper mysteriis praesentis incolumis: exaudi preces populi tui, et praesta; ut, quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse laetetur. Per Dominum nostrum.

## AD LAUDES

Ant. Zachae, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. At ille festinans descendit, et suscepit illum gaudens in domum suam. Hodie huic domui salus a Deo facta est, alleluja.



**V.** Hæc est domus Dómini firmiter ædificata. **R.** Bene fundata est supra firmam petram.

### Oratio

**D**eus, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecrationis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum beneficia petiturus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dñm.

### IN II VESPERIS

**Ant.** O quam metuendus est locus iste: vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cæli.

**V.** Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. **R.** In longitúdinem diérum.

### Die 1 Octobris

**In Ecclesiis consecratis tantum, excepta Cathedrali:**

**DE VI DIE INFRA OCT. DEDICATIONIS PROPRIÆ ECCLESIE**

### Semiduplex

**In II Vesperis præcedentis (S. Hieronymi Presbyteri, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris) fit Commemoratio Octavæ e I Vesperis, ut supra 7\*.**

**Deinde Commemoratio S. Remigii Episcopi et Confessoris:**

**Ant.** Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stulam glóriæ induit eum.

### Oratio

**D**a, quæsumus, omnipotens Deus: ut beáti Remigii Confessoris tui atque Pontificis veneránda solémnitas, et devotióem nobis áugeat et salutem. Per Dóminum.

**Dicitur IX Lectio de S. Remigio, et fit ejus Commemoratio ad Laudes:**

**Ant.** Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constituum, dicit Dóminus.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Oratio Da, ut supra.**

**Vesperæ de sequenti (Ss. Angelis Custodibus), Commemoratio Octavæ e II Vesperis, ut supra.**

**¶ In Ecclesiis non consecratis et in Cathedrali hac die fit de S. Remigio Episcopo et Confessore (simplex).**

### Die 3 Octobris

**In Ecclesiis consecratis tantum, excepta Cathedrali:**

**IN OCT. DEDICATIONIS PROPRIÆ ECCLESIE**

### Duplex majus

**In I Vesperis fit Commemoratio præcedentis (Ss. Angelorum Custodum):**

**Ant.** Sancti Angeli, custódes nostri, deféndite nos in prælio, ut non pereámus in treméndo judício.

**V.** In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. **R.** Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

### Oratio

**D**eus, qui ineffábili provi-déntia sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam mittere dignáris: largíre supplicibus tuis; et eórum semper protectione deféndi, et ætérna societáte gaudére.

**Deinde Commemoratio S. Teresiæ a Jesu Infante, Virginis:**

**Ant.** Veni, Sponsa Christi, áccipe coronam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

**V.** Spécie tua et pulchritúdine tua. **R.** Inténde, prospere procéde, et regna.

### Oratio

**D**ómine, qui dixisti: Nisi efficiámur sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum: da nobis, quæsumus; ita sanctæ Teresiæ Virginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestigia sectári, ut præmia consequámur ætérna: Qui vivis et regnas.

### In III Nocturno

**Pro S. Teresiæ a Jesu Infante:**

### Lectio ix

**T**erésia a Jesu Infánte, Alensónii in Gállia, ex honestis piisque paréntibus orta est. Quinto ætátis anno,

matre amíssa, Dei providéntiæ se totam commisit sub vigilántia amantíssimi patris et sorórum natu majórum: quibus magístris, ad curréndam perfectiúnis viam ut gigas exsultávit. Novénnis virgínibus ex Ordine sancti Benedicti Lexóviis excolénda tráditur. Décimo ætátis anno, arcáno et gravi morbo diu cruciáta, ope Dóminæ Nostræ a Victória, divínitus fuit liberáta. Angélico fervóre repléta, ad sacrum convívium primitus accédens, insatiábilem hujus cibi famem hauríre visa est. Carmelitárum Excalceatórum Ordinem ingredi cúpiens, ob ætátis deféctum, multas ad religiósam vitam amplecténdam nacta est difficultátes, quibus fórtiter superátis, Lexóviensem Carmélum, quíndecim annos nata, feliciter ingressa est; ibique erga Deum et próximum exímia caritáte flagrávit. Spirituálem infántiæ viam, secúndum Evangélii doctrínam, secúta, álios, speciátim novítas, eandem edócuit. Eádem caritáte succénsa, duóbús ante óbitum annis Dei miseréntis amóri se víctimam óbtulit. Viginti quátuor annos nata, die trigésima octingentésimo nonagésimo séptimo, ad Sponsum evolávit. Quam Pius undécimus, Póntifex Máximus, beátis Virgínibus adscriptam, et biénno post, jubiléo máximo recurrénte, solémniter



inter Sanctas relátam, peculiárem ómnium Missiónum Patrónam constituit atque declarávit.

**Te Deum laudámus.**

AD LAUDES

**Pro Commemoratione** S. Teresiæ a Jesu Infante:

**Ant.** Simile est regnum cælórum hómini negotiátóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

**Oratio**

**D**ómine, qui dixísti: Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum: da nobis, quæsumus; ita sanctæ Teresiæ Virginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári, ut præmia consequámur ætérna: Qui vivis et regnas.

*In II Vesperis fit Commemoratio sequentis (S. Francisci Confessoris):*

**Ant.** Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolum glóriæ induit eum.

**Oratio**

**D**eus, qui Ecclésiám tuam beáti Francisci méritis fœtu novæ prolis amplíficas: tribue nobis ex ejus imitatió-

ne terréna despícere; et cælestium donórum semper participatióne gaudére.

*Deinde Commemoratio* S. Teresiæ a Jesu Infante:

**Ant.** Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

**Oratio** Dómine, qui dixísti, **ut supra.**

*¶ In Ecclesiis non consecratis et in Cathedrali hac die fit de S. Teresia a Jesu Infante Virgine (duplex).*

Die 5 Octobris

IN DEDICATIONE  
ECCL. CATHEDRALIS

Duplex I classis cum Octava  
communi

*In Festo omnia de Communi Dedicationis Ecclesiæ, præter Lectiones II Nocturni, ut infra: omittitur Commemoratio præcedentis (S. Francisci Confessoris) in I Vesperis, necnon Commemoratio Ss. Placidi et Sociorum Martyrum; sed in II Vesperis fit Commemoratio sequentis (S. Brunonis Confessoris).*

In II Nocturno

Lectio iv

**O**snabrugénsis Ecclésiá Episcopális, prima in Saxónia, beneficéntia et liberalitáte fundáta est Cároli Magni, Regis Christianissimi. Qui cum perdiutúrno acerrimóque

bello pagános Sáxones in ditióne suam redigere, suavíque Jesu Christi jugo subjícere ómnibus nervis niterétur, bis ácie victor gloriósus cum hoste conflíxit, primum juxta montem Osnéggi dictum in loco tunc Theotmélli, nunc Detmold nomináto, iterúmque apud Hasam flúvium, uti chrónica póstera habent, in loco Schlagvorderbérg. Ecclésiám Cathedrám, quam istis tempóribus Cárolus Osnabrugí fundávit et reliquiis sanctórum Crispíni et Crispiniáni locupletávit, ab Egilfrído, epíscopo Leodiénsi, cúltoi divíno consecrátam et sancto Petro, Apostolórum Príncipi, necnon sanctis Crispíno et Crispiniáno dedicátam esse, antiquitus tráditum et contestátum est. Neque dubitátur, Cároli Magni apud eándem Ecclésiám, quam paulo post immunitáte donávit, scholam christiánam instituisse; quæ Carolína póstmodum a fundatóre denomináta, scientiárum et bonárum ártium semper cultrix, ingenuisque stúdiis amica, inúmeros áluit álúmnos, et anno millésimo nongentésimo quarto vetustíssimæ originis undécima sæculária ingénti cum lætítia agitávit. Ecclésiá autem matrix, quam Proto-Epíscopus sanctus Wiho gubernávit, mox caput et origo evásit, unde ceu fontes ad vicinos pópulos scaturiebant

aquæ vivæ salientes in vitam ætérnam.

**R.** Orántibus in loco isto, \* Dimítte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. **V.** Qui regis Israel inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chéribim. **Dimítte.**

Lectio v

**T**emplum Cathedrále Osnabrugénsis anno millésimo centésimo una cum cúria præsulis ac fratrum flammis corréptum et igne vastátum fidéles luxérunt. At ópera et stúdio præ ceteris Joánnis, piíssimi Epíscopi, mox nova, novóque decore ornáta ædes Deo sacra cón dita et exstrúcta est; ad quam laudátus præsul lípsana sanctórum Crispíni et Crispiniáni, intérea a monastério Iburgénsi hospítio recépta, devóte redúxit. Hanc recéntem Dei domum, quæ póstea cum tota Osnabrugénsi civitaté casu miserábili cremáta est, anno quinquagésimo quarto sæculi décimi tértii ópere sumptuóso de novo reparáre cœperunt epíscopus et capítulum; ómnibus autem vere pœniténtibus et conféssis, qui ad structúram manum tunc porréxerint adjutricem, Bruno præsul Osnabrugénsis et epíscopi vicini, immo ipsi Summi Pontífices Innocéntius et



Alexánder indulgéntias concessérunt. Jamque Ecclésia formósior et speciósior e cinéribus efflóruit, quam pósteri perædificáruunt multóque ornátu instruxérunt et pretiósia supelléctile. Gottfríduo vero episcopus sáculo décimo quarto copiósas Ursuláni cætus exúvias summa veneratióne in Cathedráli solémniter depósuit.

**R.** O quam metuéndus est locus iste: \* Vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cæli. **V.** Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram. **Vere.**

#### Lectio vi

**C**um deploránda in religióne dissídiá sáculo décimo sexto conturbárent christiános pópulos, mérito præsertim capítuli, in veritáte fidei fidéliter persisténtis, cultus cathólicus in templo Cathedráli sustentátus est. Pósterio autem sáculo felicíssimæ recordatiónis episcopus Itélius Fridericus de Hohenzöllern, Sanctæ Románæ Ecclésiæ cardinális, et post ejus mortem succéssor ejus Franciscus Wilhélmus de Wártenberg pro víribus ómnia instauráruunt in Christo. Bernárdus vero episcopus exeúnte sáculo undevicésimo vetústam ac venerándam Cathedralem Ecclésiám magníficis sculptúris et pictúris,

antiquæ artis vestigiis inhærentibus, exornári curávit; quod pium opus Hubértus præsul inetúte sáculo vicésimo succéssu próspéro continuávit, novam aram majórem consecrávit, sacras reliquias, in priscis lipsanothécis spléndidis conclúsas, in eódem altári cóndidit. Matrix Osnabrugénsis Ecclésia, sacris Cæléstium lípsanis decoráta, veltustáte venerábilis, novo ornátu resplendéscens, in cuncta sácula permáneat pópulo cleróque fons divinæ benedictiúnis, nutríméntum pietátis, vera domus Dei et porta cæli.

**R.** Mane surgens Jacob erigébat lápidem in título, fundens óleum désuper, votum vovít Dómino: \* Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. **V.** Cumque evigilásset Jacob de somno, ait. **Vere. Glória Patri. Vere.**

**In II Vesperis fit Commemoratio sequentis (S. Brunonis Confessoris):**

**Ant.** Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolum glóriæ induit eum.

#### Oratio

**S**ancti Brunónis Confessoris tui, quæsumus, Dómine, intercessiúnibus adjuvémur: ut, qui majestátem tuam gráviter delinquéndo offéndimus, ejus méritis et

précibus, nostrórum delictórum véniam consequámur. Per Dóminum nostrum.

¶ Diebus 6, 8, 9 et 10 Octobris fit Commemoratio Octavæ, juxta Rubricas, ut infra.

#### PRO COMMEMORATIONE OCTAVÆ DEDICATIONIS ECCL. CATHEDRALIS

##### AD LAUDES

**Ant.** Zachæe, festinans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére. At ille festinans descéndit, et suscepit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúja.

**V.** Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta. **R.** Bene fundáta est supra firmam petram.

##### Oratio

**D**eus, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum beneficia petiturus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum nostrum.

##### IN VESPERIS

**Ant.** O quam metuéndus est locus iste: vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cæli.

**V.** Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. **R.** In longitúdinem diérum.

#### Die 12 Octobris IN OCTAVA DEDICATIONIS ECCL. CATHEDRALIS

##### Duplex majus

Antiphona et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo, præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III in Breviario assignantur proprie.

**In II Vesperis Maternitatis B. M. V. fit Commemoratio sequentis:**

**Ant.** Sanctificávit Dóminus tabernáculum suum: quia hæc est domus Dei, in qua invocábitur nomen ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

**V.** Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta. **R.** Bene fundáta est supra firmam petram.

**Oratio** Deus, qui, ut supra.

**In II Vesperis fit Commemoratio sequentis (S. Eduardi Regis, Confessoris):**

**Ant.** Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolum glóriæ induit eum.

##### Oratio

**D**eus, qui beátum regem Eduárdum Confessórem tuum æternitátis glória coronásti: fac nos, quæsumus; ita eum venerári in terris, ut cum eo regnare possimus in cælis. Per Dóminum nostrum.



Die 21 Octobris  
SS. URSULAE  
ET SOCIARUM  
Virginum et Martyrum  
Duplex majus

## IN I VESPERIS

Capitulum et Hymnus de Laudibus 18\*.

V. Deus meus, impolluta via ejus. R. Protector est omnium sperantium in se.

Ad Magnif. Ant. Ego Dominus \* dabo eis nomen melius a filiis et filiabus; nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.

## Oratio

Omnipotens sempiterna Deus, qui beatas Ursulam et Socias ejus virginitatis et martyrii gloria decorasti: da nobis earum precibus ita corporis et mentis servare puritatem; ut nec blanditiis carnis nec malorum acerbitate vincamur. Per Dominum nostrum.

Et fit Commemoratio praecedentis (S. Joannis Cantii Confessoris):

Ant. Hic vir despiciens mundum et terrena, triumphans, divitias caelo condidit ore, manu.

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas. R. Et ostendit illi regnum Dei.

## Oratio

Da, quaesumus, omnipotens Deus: ut, sancti Joannis Confessoris exemplo

in scientia Sanctorum proficientes, atque aliis misericordiam exhibentes, ejus meritis indulgentiam apud te consequamur.

Deinde Commemoratio S. Hilarionis Abbatis:

Ant. Similabo eum viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram.

V. Amavit eum Dominus, et ornavit eum. R. Stulam gloriae induit eum.

## Oratio

Intercessio nos, quaesumus, Domine, beati Hilarionis Abbatis commendet: ut, quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Dominum nostrum.

## AD MATUTINUM

Invit. Regem Virginum, Dominum, \* Venite, adoremus.

Ps. 94 Venite, exultemus.

## Hymnus

Vox sonat Sponsi: Diuturna cessit  
Nunc hiems, tristes abiere nimbis,  
Ver adest, flores redolent: paratae  
Surgite, Sponsae.

Obviam Jesu properate ovantes,

Virgines: vestrum caput ipse cinget

Liliis: secum thalamo receptas

Ipse beabit.

Vos enim nullus labor hoc in orbe  
Terruit, Sponsi memores amantibus;  
Hujus et causa tolerastis ultro  
Aspera quaeque.

Ipse, qui vobis moriens superbas  
Addidit vires, simul edomare  
Corporis sexum dedit, et cruentas  
Vincere pugnas.

Hinc fidem Christo, semel obligatam,  
Usque servastis; rutilatque vestra  
Impigre lampas, nihil imbre et atris  
Victa procellis.

Terra nunc vobis patet, unde curae  
Exsulant omnes, ubi nil operat  
Limpidi caeli faciem, perennis  
Sol ubi fulget.

Summa laus Patri, genitroque Verbo,  
Et tibi, compar utriusque virtus,  
Spiritus semper, Deus unus omni  
Temporis aeo.  
Amen.

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore.

## In II Nocturno

## Lectio iv

Dum saeculo quinto fere medio Attila, Hunnorum dux, a prima sua in Gallias irruptione, ubi ad Catalaunum

profligatus fuerat, in Pannoniam revertebatur, antequam Rhenum trajiceret, nobilissimam urbem Colonia Agrippinam aggreditur; et ob odium catholicae religionis, quae ibi maxime florebat, eam rapina ac caedibus vastabat. Saevissimo autem impetu barbari libidine aestuantes in virgines puellas irruerant, quae a Britannia emigrantes ibidem commorabantur. Inter quas praclarissima existit Virgo, Ursula nomine, quae ceteras hortabatur socias, omnia potius subire tormentata, mortemque crudelissimam obire, quam virginalis pudicitiae detrimentum pati.

R. O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius: \* Quoniam et apud Deum nota est, et apud homines. V. Cum praesens est, imitantur illam: et desiderant eam, cum se eduxerit. Quoniam.

## Lectio v

Cum nobile hoc virgineum agmen constantissime Hunnis restitisset, partim ab ipsis gladio trucidatae, partim sagittis transfixae, partim vinctibus confusae martyrium consummarunt. Ursula vero super comitum suarum velut caelestium margaritarum acerrum gloriosa victima procumbens, purpura pro fide et castitate fusi sanguinis decorata, exercitum geminis vir-



ginitatis et fidei coronis insignem in caelum triumphans introduxit. Postquam vero saeva barbarorum procella defluxit, Colonienses superstites virginum aliorumque civium Martyrum corpora ut pretiosa pignora collegérunt, et summo honore condiderunt.

**R.** Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulae dilexerunt te: \* Trahe me: post te currémus in odorem unguentorum tuorum. **V.** Speciosus forma praefiliis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. **Trahe.**

### Lectio vii

**I**n agro, virgineo sanguine rubro, in quo sacra quies Martyribus data fuit, basilica aedificata est, jam medio saeculo septimo sanctarum Virginum dicta, ob quarum reverentiam nullum exinde cadaver humanum illic tumulabatur. Quae saeculo nono monasterium facta, initio decimoniales ob metum Hungarorum profugas recepit, semper ab inclyta civitatis Praesulibus liberaliter dotata et pie visitata. Conspiciuntur usque in hunc diem ecclesiae saepe restauratae muri Martyrum loculis undique exornati, dum major Reliquiarum pars intra chori parietes et sub pavimento latitant: cernuntur in proximo oratorio innumera Virginum capita, martyrii vestigiis partim insignita, partim crinibus sanguinolentis

tecta. Haec sacra pignora praeteritis temporibus piis pergrinationibus fideles prosequuti sunt.

**R.** Impleat Deus omne desiderium vestrum, \* Secundum divitias suas in gloria, in Christo Jesu. **V.** Ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo. **Secundum.** Gloria Patri. **Secundum.**

### In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum

### Lectio vii Cap. 25, 1-13

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum caelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsae. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini  
Episcopi

### Enarratio in Ps. 147, n. 11

**F**atae virgines vitant veluti corruptiones venientes undique, et non in conscientia gerunt bonum suum coram oculis Dei; sed placere inde volunt hominibus, et iudicium sequuntur alienum. Favores vulgi aucupantur: viles sibi sunt, cum spectatoribus esse carae volunt; non eis sufficit conscientia. Merito non portant oleum secum. Oleum autem est ipsa gloria, propter nitorem et splendorem. Sed quid dicit Apó-

stolus? Vide Virgines sapientes, portantes oleum secum: Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semetipso habebit gloriam, et non in altero. Haec sunt ergo Virgines sapientes. Stultae autem accendunt quidem lampades: videntur quidem lucere opera earum: sed deficient, et extinguentur; quia non de oleo interiore pascuntur.

**R.** Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis: \* Haec enim facientes, non peccabitis aliquando. **V.** Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. **Haec.**

### Lectio viii

**E**t dormiunt omnes, tardante Sponso: quia ex utroque genere hominum obdormiscunt in mortem; et de illis fatuis, et de his sapientibus, tardante adventu Domini, itur in mortem istam corporalem et visibilem, quam somni loco Scripturas ponere notum est omnibus Christianis. Cum diceret de agrotantibus Apóstolus: Propterea in vobis, inquit, multi infirmi et aegri, et dormiunt sufficienter: Dormiunt, inquit, moriuntur. Sed ecce venturus est Sponsus; et omnes surgent, sed non omnes intrabunt. Deficient opera stultarum virginum, non habentium oleum conscientiae; non

invénient a quibus emant quod illis solébant vendere adulatorés.

**R.** Média nocte clamor factus est: \* Ecce sponsus venit, exite obviam ei. **V.** Prudentes Virgines, aptate vestras lampades. **Ecce.** Glória Patri. **Ecce.**

Pro S. Hilarione Abbate:

### Lectio ix

**H**ilarion, ortus Tabathae in Palaestina ex parentibus infidelibus, Alexandriam missus studiorum causa, ibi morum et ingenii laude floruit; ac, Jesu Christi suscepta religione, in fide et caritate mirabiliter profecit. Frequens enim erat in ecclesia, assiduus in jejuniis et oratione: omnes voluptatum illacebras, et terrenarum rerum cupiditates contemnebat. Cum autem Antonii nomen in Aegypto celeberrimum esset, ejus videndi studio in solitudinem contendit: apud quem duobus mensibus omnem ejus vitae rationem didicit. Domum reversus, mortuis parentibus, facultates suas pauperibus dilargitus est; necdum quintum decimum annum egressus, rediit in solitudinem, ubi, exstructa exigua casa, quae vix ipsum caperet, humi cubabat. Nec vero saccum, quo semel amictus est, umquam aut lavit, aut mutavit, cum supervacaneum esse diceret, munditias in cilicio quaerere. In sanctarum Litterarum lectio-



ne et meditatione multus erat. Paucas ficus et succum herbarum ad victum adhibebat; nec illis ante solis occasum vescebatur. Continencia et humilitate fuit incredibili. Quibus aliisque virtutibus varias horribilesque tentationes diaboli superavit, et innumerabiles demones in multis orbis terrae partibus ex hominum corporibus ejecit. Qui octogesimum annum agens, multis aedificatis monasteriis, et claris miraculis, in morbum incidit: cuius vi cum extremo pæne spiritu conflictaretur, dicebat: Egrèdere, quid times? egrèdere, anima mea, quid dubitas? septuaginta prope annis servisti Christo, et mortem times? Quibus in verbis spiritum exhalavit.

Te Deum laudamus.

#### AD LAUDES

Capit. 2 Cor. 4, 6-7

**F**ratres: Deus illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Jesu: habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis.

#### Hymnus

**J**esu, corona Virginum,  
Quem Mater illa concipit,  
Quae sola Virgo parturit,  
Hæc vota clemens accipe.

Qui pergis inter lilia,  
Septus choréis Virginum,  
Sponsus decorus gloria,  
Sponsisque reddens præmia.

Quocumque tendis, Virgines

Sequuntur, atque laudibus  
Post te canentes cursitant,  
Hymnosque dulces personant;

Te deprecamur supplices,  
Nostris ut addas sensibus,  
Nescire prorsus omnia  
Corruptionis vulnera.

Virtus, honor, laus, gloria  
Deo Patri cum Filio,  
Sancto simul Paraclito,  
In sæculorum sæcula.  
Amen.

**V.** Virgines laudent nomen Domini. **R.** Quia exaltatum est nomen ejus solius.

**Ad Bened. Ant.** Venit Sponsus: \* et Virgines, quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias.

#### Oratio

**O**mnipotens sempiternæ Deus, qui beatas Ursulam et Socias ejus virginitatis et martyrii gloria decorasti: da nobis earum precibus ita corporis et mentis servare puritatem; ut nec blanditiis carnis nec malorum acerbitate vincamur. Per Dominum.

**Pro Commemoratione S. Hilariionis:**

**Ant.** Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constitutam, intra in gaudium Domini tui.

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

#### Oratio

**I**ntercessio nos, quaesumus, Domine, beati Hilariionis Abbatis commendet: ut, quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Dominum.

#### AD TERTIAM

Capit. Fratres, ut supra ad Laudes 18\*.

**R. br.** Deus meus, \* Impolluta via ejus. **Deus. V.** Protector est omnium sperantium in se. **Impolluta. Gloria Patri. Deus.**

**V.** Afferentur Virgines in lætitia et exultatione. **R.** Adducentur in templum Regis.

#### AD SEXTAM

Capit. 2 Cor. 4, 16

**P**ropter quod non deficiamus: sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur; tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.

**R. br.** Afferentur Virgines \* In lætitia et exultatione. **Afferentur. V.** Adducentur in templum Regis. **In lætitia. Gloria Patri. Afferentur.**

**V.** In nomine tuo, Domine, exsultabunt tota die. **R.** Et in justitia tua exaltabuntur.

#### AD NONAM

Capit. 2 Cor. 4, 17

**I**d enim, quod in presenti est momentaneum et levè tribulationis nostræ, supra

modum in sublimitate æterni gloriæ pondus operatur in nobis.

**R. br.** In nomine tuo, Domine, \* Exsultabunt tota die. **In. V.** Et in justitia tua exaltabuntur. **Exsultabunt. Gloria Patri. In.**

**V.** Virgines laudent nomen Domini. **R.** Quia exaltatum est nomen ejus solius.

#### IN II VESPERIS

Capitulum et Hymnus de Laudibus 18\*.

**V.** Virgines laudent nomen Domini. **R.** Quia exaltatum est nomen ejus solius.

**Ad Magnif. Ant.** Casta generatio \* in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.

Die 25 Octobris

SS. CRISPINI  
ET CRISPINIANI

Patronorum minus principalem dioceseseos et civitatis Osnabrugensis, Martyrum

Duplex majus

IN I VESPERIS

**Ant.** O Rex gloriæ, qui Crispinum et Crispinianum per martyrii triumphum magnificasti, miserere nobis et per Sanctorum suffragia da nobis sempiterna gaudia.

**V.** Lætamini in Domino et exsultate, justi. **R.** Et gloriâmini, omnes recti corde.



## Oratio

Quæsumus, omnípotens Deus: ut nos geminata lætitia hodiernæ festivitatis excipiat, quæ de beatorum Crispini et Crispiniani glorificatione procedit; quos eadem fides et passio vere fecit esse germanos.

Deinde fit Commemoratio Ss. Chrysanthi et Dariae Martyrum:

Ant. Istorum est enim regnum celorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

V. Exsultabunt Sancti in gloria. R. Lætabuntur in cubilibus suis.

## Oratio

Beatorum Martyrum tuorum, Domine, Chrysanthi et Dariae, quæsumus, adsit nobis oratio: ut, quos veneramur obsequio, eorum pium iugiter experiamur auxilium. Per Dominum.

## In II Nocturno

## Lectio iv

Ut Carolus Magnus in observandis Ecclesiæ Romanæ ritibus religiosus Summoque Pontifici addictissimus, ita in honorandis et venerandis Sanctorum reliquiis semper devotus fuit. Cælestium lipsanis, quæ ex Palæstina, ex Oriente, quæ ex Italia, præsertim Roma, ex Hispania et aliunde congeste-

rat, Basilicam Aquisgranensem aliasque Ecclesias et Cœnobîa dotavit. Ex quo thesauro sacro Osnabrugensi quoque Ecclesiæ Cathedrâli, quam primam in Saxonia fundavit, ad augmentum præsidii cælestis sanctorum Crispini et Crispiniani corporum partem satis magnam dilargitus est. Quare isti sancti Martyres, quorum exuvia, e cunctis adversitatum procellis servatæ, hodièdum in Cathedrâli caute custodiuntur, ab Osnabrugensibus in præcipuo semper honore habiti sunt.

R. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servièntes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: \* Terra apparuit arida, et in Mari Rubro via sine impedimento. V. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt. Terra.

## Lectio v

Crispinus et Crispinianus fratres Romæ in vitam ingressi sunt, e nobili prosapia et christiânis parentibus progènti. Propagandæ religionis christiânæ zelo inflammati, calceolariorum opificum didicerunt, in Galliam, Augustam Suessionum profecti, spe freti, se in eo vitæ genere potiorem occasionem esse nacturos cum pagânis colloquendi, eosque ab insana et superstitiosa idololatria

ad veri Dei cultum traducendi. Nec fefellit eos spes; suavitate quippe morum et agendi modestia cuiusvis gratiam et favorem sibi conciliârunt, pro labore suo nullam vel exiguam mercèdem petentes. Complures proinde annos tali sanctæ occupationi, inter manuum laborem, Doctoris gentium vestigia sequentes, totos se dedèrunt eo eventu, ut permulti ethnici, abjecto idolorum cultu, ad Christum converterentur et in dies augetur credentium numerus.

R. Verbera carnificum non timuerunt Sancti Dei, morientes pro Christi nomine: \* Ut heredes fierent in domo Domini. V. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut.

## Lectio vi

Postquam sobolem Christo genuerunt numerosam, tandem Crispinus et Crispinianus ad Maximianum, nefastum imperatorem, ut Christicolæ delati, coram provincia Præfecto Rictiovaro fidem profiteri minime erubuerunt, neque minis nec promissis ad eam abjurandam adduci potuerunt. Quare omni tormentorum genere impius imperatoriae crudelitatis minister in eos desæviit, trôchleis extendi, fustibus cædi, sùbulas carnem inter et ungues intromitti pellèmque e dorso détrahi jussit.

Sancti fratres, in immâni cruciâtu Christum âlacri animo laudantes, postea in ahenum liquefacto plumbo plenum immisi sunt, e quo salvi et incólumes exierunt; et in ignem injecti, a circumlambentibus flammis intacti divina virtute manserunt, magno Rictiovari damno, quem oculorum usum exinde et vitam, flammis consumptum, amisisse ferunt. Demum imperator Crispinum et Crispinianum capitem obtruncatione mactari jussit; qui gratias Deo persolventes, gladio cervicis læti subjecerunt, et gloriosi martyrii coronis decorati sunt. Eorum autem corpora a pagânis volucris et feris objecta noctu Christiâni asportârunt tumuloque condiderunt, anno ducentésimo octogésimo séptimo.

R. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocæusti hostiam accepit illos; et in tempore erit respectus illorum: \* Quoniam donum et pax est electis Dei. V. Qui confidunt in illum, intèlligent veritatem: et fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Glória Patri. Quoniam.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Cum audieritis, de Comuni plurimorum Martyrum 1 loco cum R. viii Hæc est vera fraternitas; et dicitur IX Lectio de Ss. Chrysantho et Daria Martyribus.



## AD LAUDES

**V.** Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábúntur in cubilibus suis.

**Ad Bened. Ant.** Sancti Dei, \* Crispinus et Crispiniánus, submissa colla percussóribus tradidérunt: modo coronáti accipiunt palmam, vivunt in ætérnum cum Christo: benedictus Dóminus, qui eréxit super sídera cornu suórum Mártyrum.

## Oratio

**Q**uæsumus, omnipotens Deus: ut nos gemináta lætítia hodiérnæ festivitátis excipiat, quæ de beátórum Crispini et Crispiniáni glorificatióne procedít; quos éadem fides et pássio vere fecit esse germános. Per Dóminum.

**Pro Commemoratione** Ss. Chrysanthi et Dariæ:

**Ant.** Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus meliôres estis vos.

**V.** Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

## Oratio

**B**eatórum Mártyrum tuórum, Dómine, Chrysanthi et Dariæ, quæsumus, adsit nobis orátio: ut, quos venerámur obséquo, eórum pium júgiter experiámur auxiliium. Per Dóminum.

## IN II VESPERIS

**V.** Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábúntur in cubilibus suis.

**Ad Magnif. Ant.** A progénie in progénies \* fecit misericórdiam Dóminus, qui ad dúxit Crispinum et Crispiniánum, ut in terra nostra peregrini essent et ádvenæ, in illa vero pátria cælésti cives Sanctórum ac doméstici Dei: ibi nobis dati a Deo patróni júgiter intercédant pro hac sancta plebe et univérsis fidélibus, allelúja.

**Et fit Commemoratio sequentis** (S. Evaristi Papæ et Martyrii):

**Ant.** Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

**V.** Glória et honóre coronásti eum, Dómine. **R.** Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

## Oratio

**G**regem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum Evarístum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem perpétua protectiône custódi, quem totíus Ecclesiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum.

## Die 5 Novembris

SACRARUM  
RELIQUIARUM

quæ in Ecclesiis Diœceseos asservantur

## Duplex majus

**Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore; reliqua de Comuni plurimorum Martyrum, exceptis Oratione et Lectionibus II Nocturni, ut infra.**

## IN I VESPERIS

**V.** Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

**Ad Magnif. Ant.** Istórum est enim \* regnum cælórum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sânguine Agni.

## Oratio

**A**uge in nobis, Dómine, resurrectionis fidem, qui in Sanctórum tuórum reliquiis mirabilia operáris: et fac nos immortalis glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pignora venerámur. Per Dóminum nostrum.

**Et fit Commemoratio præcedentis** (S. Caroli Episcopi et Confessoris):

**Ant.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

## Oratio

**E**cclésiám tuam, Dómine, sancti Cároli Confessoris tui atque Pontíficis continúa protectiône custódi: ut, sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit; ita nos ejus intercessió in tuo semper fáciat amóre ferventes.

**Deinde Commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum:**

**Ant.** O quam gloriósum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amici stolis albis sequúntur Agnum quocúmque ierit.

**V.** Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábúntur in cubilibus suis.

## Oratio

**O**mnipotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quæsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundantiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum nostrum.

## In II Nocturno

Ex Tractátu sancti Joánnis Damascéni de fide orthodoxa

## Lectio iv

Liber 4, cap. 15

**C**hristus Dóminus Sanctórum reliquias velut salu-táres fontes præbuit, ex qui-



bus plúrima ad nos beneficia manant, suavissimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam his fidem détrahat. Nam si aqua in déserto ex dura et áspera rupe, atque ex ásini maxilla, ad sedándam Samsónis sitim, Deo ita volénte, prosiliit, cur incredibile videátur ex Mártyrum reliquiis unguéntum suáve scaturíre? Mínime certe iis, quibus Dei poténtia et honor, quo Sanctos suos afficit, perspécta sunt et exploráta.

**R.** Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illási in aquis válidis: \* Terra apparuit árida, et in Mari Rubro via sine impediménto. **V.** Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. **Terra.**

#### Lectio v

**I**n lege quidem, quisquis mórtuum tetigerat, immúndus censebátur. Hi verum in mortuórum número mínime sunt habéndi. Ex quo enim ille qui ipsa Vita est, et vitæ Auctor, inter mórtuos deputátus est: eos qui cum spe resurrectionis fidéque in ipsum obdormiérunt, nequáquam mórtuos appellámus. Qui enim mórtuum corpus miracula édere queat? Quanam ígitur ratióne, horum ópera dámones expellúntur, morbi profligántur, ægróti

sanántur, cæci visum recipiunt, leprósi mundántur, tentatiónes discutiúntur ac mærorés, omne dénique datum óptimum, iis qui fide non dúbia póstulant, per eos descéndit a Patre lúminum? Quid labóris non suscipias, ut patrónum nanciscáris, qui te mortáli regi offerat, et pro te ad eum verba faciát? An non ígitur ii honorándi, qui totius géneris humáni patróni sunt, Deoque pro nobis supplices preces ádhibent?

**R.** Vérbera carnificum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: \* Ut herédes fierent in domo Dómini. **V.** Tradidérunt cõpora sua propter Deum ad supplicia. **Ut.**

#### Lectio vi

**H**onorándi certe: et quidem ita ut in eórum nómine templa Deo exstruámus, dona offerámus, memórias eórum colámus, atque in iis spirituáliter oblectémur: ea útique lætítia, quæ illis arrideat a quibus invitámur, ne, dum demeréri illos studémus, offendámus pótius et irritémus. Quibus enim rebus Deus colitur, iisdem servi quoque ipsius oblectántur: quibus autem Deus offénditur, iisdem étiam milites offéndúntur. Quocirca in psalmis et hymnis et cánticis spirituálibus, in compunctiõne quoque, et egenórum misera-

#### Pro Commemoratione Octavæ:

**Ant.** Te gloriósus Apostolorum chorus, te Prophetarum laudábilis número, te Mártyrum candidátus laudat exercitus, te omnes Sancti et elécti voce confiténtur unánimes, beáta Trinitas, unus Deus.

**V.** Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

#### Oratio

**O**mnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritate venerári: quæsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundantiam, multiplicáti intercessóribus, largiáris. Per Dóminum nostrum.

#### IN II VESPERIS

**V.** Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætabúntur in cubilibus suis.

**Ad Magnif. Ant.** Gaudent in cælis \* animæ Sanctórum, qui Christi vestigia sunt secúti: et quia pro ejus amore ságuinem suum fuderunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

**Et fit Commemoratio sequentis diei infra Octavam:**

**Ant.** Angeli, Archángeli, Throni et Dominatiónes, Principátus et Potestátes, Virtútes cælórum, Chérubim atque Séraphim, Patriárchæ et Pro-

tióne, quibus et Deus potíssimum colitur, nos qui fidéles sumus, colere Sanctos oportet. Státuas eis, et imágenes quæ videántur, erigámus: imo virtútes eórum imitándo hoc consequámur, ut vivæ ipsórum státuæ imaginésque evadámus.

**R.** Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocásti hóstiam accépit illos; et in tẽpore erit respéctus illórum: \* Quóniam donum et pax est eléctis Dei. **V.** Qui confidunt in illum, intélligent veritátem: et fidéles in dilectiõne acquiescent illi. **Quóniam.** Glória Patri. **Quóniam.**

**In III Nocturno Homilia in Evangelium Descéndens Jesus, de Communi plurimorum Martyrum 2 loco.**

#### AD LAUDES

**V.** Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætabúntur in cubilibus suis.

**Ad Bened. Ant.** Vestri capilli cápitis \* omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus meliõres estis vos.

#### Oratio

**A**uge in nobis, Dómine, resurrectionis fidem, qui in Sanctórum tuórum reliquiis mirabilia operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pignora venerámur. Per Dóminum nostrum.



phétæ, sancti legis Doctóres, Apóstoli, omnes Christi Mártyres, sancti Confessóres, Vírgines Dómini, Anachoritæ, Sanctíque omnes, intercedite pro nobis.

**V.** Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

#### Oratio

**O**mnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctorum tuorum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quæsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundantiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

¶ Si tamen cras non fiat Officium de die infra Octavam, pro Commemoratione Octavæ dicitur:

**Ant.** O quam gloriósum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amicti stolis albis sequúntur Agnum quocúmque ierit.

**V.** Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

Die 16 Novembris

S. WILLEHADI

Episcopi et Confessoris

Duplex (m. t. v.)

IN I VESPERIS

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stulam gloriæ induit eum.

**Ad Magnif. Ant.** Sacérdos et Póntifex, \* et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

#### Oratio

**O**mnípotens sempitérne Deus, qui hunc diem venerábilem nobis in beáti Willehádi Confessóris atque Póntificis festivitáte tribuísti: fidélium tuorum votis benignus inténde; ut ejúsdem intercessióne a cunctis reátibus absoluti, gáudia cónsequi mereámur æténa. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Et fit Commemoratio præcedentis (S. Alberti Magni Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris):

**Ant.** O Doctor óptime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beáte Albérte, divinæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

#### Oratio

**D**eus, qui beátum Albértum, Póntificem tuum atque Doctórem, in humana sapiéntia divinæ fidei subjiciéndam magnum effecísti: da nobis, quæsumus, ita ejus magistérii inhærere vestigiis; ut luce perfécta fruámur in cælis.

**Deinde Commemoratio S. Gertrudis Virginis:**

**Ant.** Veni, Sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

**V.** Spécie tua et pulchritudine tua. **R.** Inténde, prospere procéde, et regna.

#### Oratio

**D**eus, qui in corde beátæ Gertrúdis Virginis júcundam tibi mansiónem præparásti: ipsius méritis et intercessióne cordis nostri máculas cleménter abstérge; et ejúsdem tribue gaudére consórtio. Per Dóminum.

#### In II Nocturno

##### Lectio iv

**W**illehádus, genere Anglus, sæculo octávo in Northúmbria natus, a téneris annis Deum timére cœpit. Oratióibus, vigíliis, jejúniis semper inténtus, virtútes omnes ita cóluit, ut cunctis amóri et admiratióni esset. Ardénti, quo flagrábat, zelo incessánter quæsívít opportunitátem bárbaris géntibus inferéndi lumen fidei. Sacérdos factus aliquándo audívit, inter Frísones et Sáxones multos esse sincére parátos ad christiánam religiónem amplecténdam. Capto igitur consilio eóque probáto ab Episcopis Northúmbriæ, mare trajécit et in Frísiæ pago Ostrága in loco Doccum, quem vir Dei Bonifátius pro-

fúso ságuine ántea consecráverat, evangélici labóris inítium fecit. Infántes a nobilibus illius regiónis ei oblátos ad religiónem christiánam erudívit, errántes a fide in viam veritátis redúxit, paganórum plúrimos ad unius Dei cultum convértit.

**R.** Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

#### Lectio v

**P**ost hæc Willehádus, uti ex vetústis documéntis erúitur, Ostrága Hugmárcham proféctus paganórum furórem in se concitávit iis exprobrádo, quod deos lapídeos cólarent. Quare Thriántam declinávit, ibique aliquándiu secúrus verbum Dei disseminávit. Cum autem sacro ardóre abrépti discipuli ejus idolórum fana evérterent, ad necem iterum quæsítus, fústibus cæsus plagisque afféctus est, et coactus recedere. A Frisónibus ad Saxonum fines se convértit, quos paulo ante Cárolus Rex armórum vi sibi subjugávit. A quo accersítus, in Wigmódiam, cuius locus princeps Brema erat, una cum sóciis conténdit. Ibidem brevi plúrimos ad fidem Christi pertráxit, sed maturescéntem ségetem Widukíndus dux dire vastá-



vit, sacros præcõnes fere omnes trucidavit præter Willehådum, qui Dei beneficio manus ejus effugit. Dispërso grege, mærens pastor Romam profectus est, beatõrum Apostolorum intercessionibus gentilium salutem commendaturus, et Hadriani Pontificis adloquio recreatus, in Germaniam reversus est.

**R.** Põsui adjutõrium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

#### Lectio vi

**E**pternaci, quo primum se contulit, in monasterio abditus per biennium sacre lectioni et scriptioni se dedit. Recogitans autem miseriam gentilium conditionem et ad eorum in dies ardentius conversionem anhelans, hortatu Caroli Regis in Wigmodiam iterum perrexit, ubi jam rebus pacatis conversoque ad fidem Widukindo, magno cum fructu evangelium predicavit. Per Saxoniam et Frisiam ubique locorum templa fundavit, parochias instituit, iisque regendis presbyteros preposuit. Culmen sacerdotii deinde adeptus, Bremæ episcopalem sedem constituit, miræ pulchritudinis ecclesia inibi extructa. Tota in circuitu diocesi lustrata, tandem fractus labo-

ribus in loco Blexen, tunc Bremensis, nunc Monasteriensis Dioceseos, lethali febricorripitur. Ex circumstantibus discipulis unus lacrimans sic rogat: Ne deseras, pater, gregem in fide tenelum. Cui Willehådu: Noli, ait, mi fili, avocare me a Domini conspectu: nec vivere longius appeto, nec mori pertimesco. Oves, quas credidit mihi Deus, illi tuendas committo; vobis non deerit ejusclementia, cujus misericordie plena est terra. Tum oculis in caelum intentus et orans, in Christi nomine requievit sexto Idus Novembris anni septingentesimi octogesimali. Cujus corpus Bremam translatum crebris miraculis inclauit.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad caelestia regna. **I**pse. **G**loria Patri. **I**pse.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Homo peregre, de Comuni Confessoris Pontificis 1 loco.

Pro S. Gertrude:

#### Lectio ix

**G**ertrudis, Islæbii in Saxonia nata, quinquennis in monasterio Elpidiensi, ordinis sancti Benedicti, virginitatem suam ac seipsam Jesu Christo obtulit. Sanctam

Mechtildem magistram habuit, qua duce ad altissima contemplationis dona pervenit. Erga divinissimum Eucharistiae sacramentum et passionem Domini tanta caritate aestuabat, ut, ea recogitans, uberioribus lacrimis perfunderetur. Multa ad confovendam pietatem scripsit. Divinarum etiam revelationum et prophetiae dono claruit. Denique, flagrantissimo Dei amore potius quam morbo languescens, vita decessit, miraculis vivens et post mortem illustris. **T**e Deum laudamus.

#### AD LAUDES

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

#### Oratio

**O**mnipotens sempiternus Deus, qui hunc diem venerabilem nobis in beati Willehadi Confessoris atque Pontificis festivitate tribuisti: fidelium tuorum votis benignus intende; ut ejusdem intercessione a cunctis reatibus absoluti, gaudia consequi mereamur aeterna. Per Dominum nostrum.

**Pro Commemoratione S. Gertrudis:**

**Ant.** Simile est regnum caelorum homini negotiatori quæ-

renti bonas margaritas: inventa una pretiosa, dedit omnia sua, et comparavit eam.

**V.** Diffusa est gratia in labiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in aeternum.

#### Oratio

**D**eus, qui in corde beatae Gertrudis Virginis jucundam tibi mansionem preparasti: ipsius meritis et intercessione cordis nostri maculas clementer absterge; et ejusdem tribue gaudere consortio. Per Dominum.

#### IN II VESPERIS

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

**Ad Magnif. Ant.** Amavit eum Dominus, \* et ornavit eum: stolam glorie induit eum, et ad portas paradisi coronavit eum.

Et fit Commemoratio sequentis (S. Gregorii Thaumaturgi Episcopi et Confessoris):

**Ant.** Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

**V.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum. **R.** Stolam glorie induit eum.

#### Oratio

**D**a, quæsumus, omnipotens Deus: ut beati Gregorii Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollemnitas, et devotionem nobis augeat et salutem.



**Deinde Commemoratio S. Gertrudis:**

**Ant.** Veni, Sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

#### Oratio

**D**eus, qui in corde beátæ Gertrúdis Virginis júcundam tibi mansiónem præparásti: ipsius méritis et intercessióne cordis nostri máculas cleménter abstérge; et ejúsdem tribue gaudere consórtio. Per Dóminum.

Die 19 Novembris

S. ELISABETH

Viduæ

Duplex majus

*Officium fit ut in Breviario hac die, sed sub ritu duplici majori; et die quidem 18 Vesperæ dicuntur integræ de Dedicatone Basilicarum Ss. Petri et Pauli Apostolorum, et fit Commemoratio S. Elisabeth Viduæ:*

**Ant.** Símile est regnum cælorum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

**V.** Spécie tua et pulchritúdine tua. **R.** Inténde, prospere procéde, et regna.

#### Oratio

**T**uórum corda fidélium, Deus miserátor, illústra: et, beátæ Elisabeth précibus

gloriósis; fac nos próspéra mundi despícere, et cælésti semper consolatióne gaudére. (Per Dóminum nostrum.)

**Deinde Commemoratio S. Pontiani Papæ et Martyris:**

**Ant.** Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

**V.** Glória et honóre coronásti eum Dómine. **R.** Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

#### Oratio

**G**regem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum Pontíanum Mártirem tuum atque Summum Pontíficem perpétua protectióne custódi, quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

#### AD LAUDES

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

**Ad Bened. Ant.** Date ei \* de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

**Pro Commemoratione S. Pontiani:**

**Ant.** Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

**V.** Justus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

**Oratio** Gregem tuum, ut supra 30\*.

#### IN II VESPERIS

**¶ II Vesperæ dicuntur integræ de S. Elisabeth.**

**V.** Diffúsa, ut supra 30\*.

**Ad Magnif. Ant.** Manum suam \* apéruit inopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otíosa non comédit.

**Et fit Commemoratio sequentis (S. Felicis de Valois Confessoris):**

**Ant.** Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stulam glóriæ induit eum.

#### Oratio

**D**eus, qui beátum Felicem Confessórem tuum ex erémo ad munus rediméndi captívos cælitus vocáre dignátus es: præsta, quæsumus; ut per grátiam tuam ex peccatórum nostrórum captivité, ejus intercessióne, liberáti, ad cælestem pátriam perducámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum.

#### INDEX ALPHABETICUS

	pag.
Crispini et Crispiniani Mm., duplex majus. 25 Octobris	19*
Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis, duplex I classis cum Octava communi. 5 Octobris . . . . .	10*
— In Octava, duplex majus. 12 Octobris . . . . .	13*
Dedicatio propriæ Ecclesiæ, duplex I classis cum Octava communi. 26 Septembris . . . . .	7*
— De VI die infra Octavam, semiduplex. 1 Octobris . . . . .	8*
— In Octava, duplex majus. 3 Octobris . . . . .	8*
Elisabeth Viduæ, duplex majus. 19 Novembris . . . . .	30*
Hildegardis Virg., duplex. 17 Septembris . . . . .	1*
Reliquiarum, duplex majus. 5 Novembris . . . . .	23*
Ursulæ et Soc. Vv. et Mm., duplex majus. 21 Octobris . . . . .	14*
Willehadi Ep. et Conf., duplex. 16 Novembris . . . . .	26*



## SUPPLEMENTUM

### Officia nonnullorum Ss. Patronorum in Ecclesiis eorum proprii

Festum Tituli seu Patroni in Ecclesia propria celebratur sub ritu duplici I classis cum Octava communi. Quare in ipso Festo omnia dicuntur de respectivo Communi præter ea, quæ Festum habet propria; infra Octavam vero et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo, præter Lectiones I et II Nocturni, quæ in I Nocturno, nisi Lectionibus de Scriptura deficientibus, sumi debeant de Festo aut de Communi, dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II Nocturno vero semper de Communi.

Quodsi Festum Tituli seu Patroni Ecclesiæ impeditum fuerit etiam perpetuo, transferatur in primam sequentem diem non impeditam a Dominica quavis vel Vigilia Epiphaniæ, ab alio Festo duplici I vel II classis, vel ab Officiis ejusmodi Festum respective excludentibus.

Festa autem duplicia majora vel minora aut semiduplicia, quæ in universa Ecclesia celebrantur, si accidentaliter vel perpetuo impedita fuerint per Festum Patroni Ecclesiæ vel ejusdem diem Octavam, non transferuntur, sed de eis fit Commemoratio juxta Rubricas; et si Festum impediens fuerit ipse dies festus Patroni, de Officio impedito fit Commemoratio tantum in Laudibus et in Missis privatis, et non legitur IX Lectio; si vero Festum aliquod impediatur per diem Octavam Patroni, de Officio impedito fit Commemoratio in utrisque Vesperis et in Laudibus, et legitur IX Lectio historica. Idem servatur de Festis propriis Diocæseos duplicibus majoribus vel minoribus aut semiduplicibus, quæ pariter, si in aliqua particulari Ecclesia per Festum Patroni ejusve diem Octavam suo die fuerint impedita, commemorantur ut supra.

Dies autem Octava Patroni Ecclesiæ tam in occurso quam in concursu cedit cuilibet Dominicæ.

De Octavis Patronorum, quæ non sunt in Breviario Romano, nihil fit a die 17 ad 24 Decembris, a Feria IV Cinerum ad Dominicam in Albis, et a Vigilia Pentecostes ad Festum Sanctissimæ Trinitatis, semper inclusive.

Festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis habendum est pro Titulari Ecclesiæ, quæ titulo gaudet ejusdem B. M. V., absque adjuncta denominatione alicujus Mysterii, de quo Festum speciale celebratur.

## PARS AUTUMNALIS

Die 17 Septembris

S. LAMBERTI

Episcopi et Martyris

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi unius Martyris præter ea, quæ hic habentur propria.

De S. Hildegardæ et de Impressione Ss. Stigmatum S. Francisci fit Commemoratio tantum in Laudibus, et non legitur IX Lectio historica.

### Oratio

Deus, qui sanctam nobis hujus diæi solemnitatem in beati Lamberti Martyris tui atque Pontificis passionis honorabilem fecisti: adesto familiæ tuæ precibus et da; ut, cujus festa celebramus, ejus patrocinii adjuvemur. Per Dominum nostrum.

In I Nocturno Lectiones A Miletò, de Communi.

### In II Nocturno

#### Lectio iv

Lambertus, nobili genere Trajecti ad Mosam natus, inde a pueritia sacris literis per prudentissimos magistros imbuitus fuit. Ætate maturior sancto Theodardo, episcopo Trajectensi, ut plenus erudiretur, commendatus est: post ejus necem populi studio in Trajectensi episcopatu successit, cum omnium animos caritate, castitate, humilitate, rerum divinarum studio, sapientia, et modera-

tionem sibi conciliasset. Childerico autem, apud quem summo loco fuerat, interfecto, ipse pariter impiorum fraudibus de sede episcopali dejectus, in monasterium Stabulense se recepit, novissimus ordine, sed primus sanctitate; postremus numero, sed præcipuus devotionis studio.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem æternam. V. Descenditque cum illo in fovæam, et in vinculis non dereliquit eum. Et.

#### Lectio v

Cum aliquando noctis tempore ad solitariam orationem Lambertus pergeret, et exorto citra ejus culpam strépitu fratres excitaréntur, jussus a monasterii Patre ad crucem sub dio erectam orare, frigore sævissimo constructus et nive coopertus, tandem expansis manibus orans perseveravit, donec recordatus Abbas sanctum revocaret, et provolutus ad pedes deprecaretur. Postquam septennium illic sanctissime transégit, jubente Pipino Heristallensi, Duce Francorum, magno cum honore Sedi suæ restituitur. Omnibus deinceps boni pastoris partibus egregie perfunctus est, et Alexandriam e gentilitatis erroribus ad Christum convertit.



**R.** Desidérium animæ ejus tribuisti ei, Dómine, \* Et voluntate labiõrum ejus non fraudasti eum. **V.** Quoniam pravenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. **Et.**

## Lectio vi

**I**nnocens occisus est Lambértus jussu Dodónis; qui cum armatorum cohorte stipatus, in sancti episcopi domum in villa Légia iruens, óbvios quosque interficeret, Lambértus, qui in cubiculo prostratus, et expansis in modum crucis manibus orabat, sagitta transverberatus est. Corpus ab amicis et famulis, qui cædem evaserant, Trajectum delatum, ibidem sepultum est, anno Dómini septingentesimo octavo. Cum autem locus cædis frequentibus a Deo miraculis illustraretur, sanctus Hubértus post annos non multos sacrum pignus Leódium transtulit: et Lambértus debitum sanctis Martyribus honorem consecutus est.

**R.** Stola jucunditatis induit eum Dóminus: \* Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. **V.** Cibavit illum Dóminus pane vitæ et intellectus: et aqua sapientiæ salutaris potavit illum. **Et.** Glória Patri. **Et.**

*In III Nocturno Homilia in Evangelium Si quis venit, de eodem Communi 1 loco.*

Die 9 Octobris

S. DIONYSII

Episcopi et Martyris

Duplex I classis cum Octava communi

*Omnia de Communi unius Martyris præter ea, quæ hic habentur propria.*

## Oratio

**D**eus, qui hodierna die beatum Dionysium Martyrem tuum atque Pontificem virtute constantiæ in passione roborasti: tribue nobis, quæsumus; ejusdem imitatione pro amore tuo prospera mundi despiciere, et nulla ejus adversa formidare. Per Dñm.

*In I Nocturno Lectiones A Miléto, de Communi.*

*In II Nocturno Lectiones ut in Breviario Romano hac die cum Responsoriis tamen de Communi unius Martyris.*

*In III Nocturno Homilia in Evangelium Attendite a fermento, de Communi plurimorum Martyrum 3 loco cum Responsoriis de Communi unius Martyris.*

*De S. Joanne Leonardi Conf. fit Commemoratio tantum in Laudibus:*

**Ant.** Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

**V.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

## Oratio

**D**eus, qui beatum Joannem Confessorem tuum ad fidem in gentibus propagandam

mirabiliter excitare dignatus es, ac per eum in erudiendis fidelibus novam in Ecclesia tua familiam congregasti: da nobis famulis tuis, ita ejus institutis proficere; ut premia consequamur æterna. Per Dóminum nostrum.

*De Ss. Rustico et Eleuthero Martyribus nihil fit.*

Die 12 Octobris

S. MAXIMILIANI

Episcopi et Martyris

Duplex I classis cum Octava communi

*Omnia de Communi unius Martyris præter ea, quæ hic habentur propria.*

*De die Octava Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis fit Commemoratio tantum in Laudibus.*

## Oratio

**D**eus, qui nos beati Maximiliani Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas: concede propitius; ut, cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dóminum nostrum.

*In I Nocturno Lectiones A Miléto, de Communi.*

In II Nocturno

Lectio iv

**M**aximiliánus, Celæ in Pannónia natus, annis adolescentiæ cum magna vitæ innocentia et integritate exactis, cum multis præcelleret virtutibus, tamen benignitas in pauperes maxime in eo

enituit: quorum egestati et miseris sublevandis tantopere studébat, ut opes etiam amplas a parentibus sibi relictas in egentium usum Christi nomine erogarit.

**R.** Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Descenditque cum illo in fóveam, et in vinculis non dereliquit eum. **Et.**

## Lectio v

**N**ec látuit virtutum ejus splendor; vacante enim episcopatu Laureacénsi communi optiõne et voto episcopus Laureacénsis designatur. Quo in múnere talem se exhibuit, qualem dignitatis celsitudo postulabat. Cumque multos sanctissimo vitæ exemplo in salutis viam direxisset, paternisque mónitis confirmasset, patriæ, infidelitatis errore adhuc detentæ, misertus in Pannóniam, ejus juveniæ zelo, revertitur.

**R.** Desidérium animæ ejus tribuisti ei, Dómine, \* Et voluntate labiõrum ejus non fraudasti eum. **V.** Quoniam pravenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. **Et.**

## Lectio vi

**U**bi cum in umbra mortis sedentes prædicando ad lumen veritatis perducere co-



narétur, ab Ejulásio práside comprehénsus, ob constantissimam fidei christiánæ confessiónem cápitis obruncatióne martýrii glóriam adéptus est. Ejus ossa Passávii in basilica cathedráli débite honóre asservántur.

**R.** Stola jucunditátis induit eum Dóminus: \* Et coronam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. **V.** Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellectus: et aqua sapiéntiæ salutaris potávit illum. **Et.** Glória Patri. **Et.**

*In III Nocturno Homilia in Evangelium Si quis vult post me venire, de eodem Communi 2 loco.*

Die 16 Octobris

S. GERARDI MAJELLA

Confessoris

Duplex I classis cum Octava communi

*Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter ea, quæ hic habentur propria.*

*De S. Hedwige Vidua fit Commemoratio tantum in Laudibus, et non legitur IX Lectio historica.*

Oratio

**D**eus, qui beátum Gerárdum a juventúte sua ad te attráhere, et imáginem Filii tui Crucifixi confórmem fieri voluisti: tríbe, quæsumus; ut, ejus exémplo sectántes, in eándem imáginem transformémur. Per eúndem Dóminum nostrum.

*In I Nocturno Lectiones Justus si morte, de Communi 2 loco.*

In II Nocturno

Lectio iv

**G**erárdus Majélla, piis parentibus Muri in Lucânia ortus, a prima ætácula familiári púeri Jesu consuetúdone et donis non semel est lætátus. Mox perexiguum mercédem, quam ex húmilis artis exercítio et póstea e duro famulátu adolescens perciperet, minus in própios usus quam in subsidium páuperum atque in animárum, quæ Purgatórii flammis expiántur, levámen expéndere gestiébat. Christi Dómini in Euchari-stiæ Sacraménto, quem amicum appellábat cárcere inclúsum, tanto amóre tenebátur, ut longas horas intérdiu noctúque in ejus adoratione transigeret; quo tempore aliquóties blando divíni Magístri allóquio recreátus fertur. Nec minus studiósè Christi patientis recolébat mystéria, quem quo perféctius imitarétur, vix dici potest quam ásperere ipse secum égerit, et quam ávidus et lætus irrisiónes, contéptus, omnigenásque acerbitates pertúlerit. Deíparam quoque Virginem tenérrimo, quoad vixit, cultu prosecútus, nullum diem prætermisit, quin ei ómnia, quæ posset, amóris obséquia exhibéret, dícere sólitus: Pia Mater mea María cor meum sibi rápuit.

**R.** Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum

ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérnam. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

**M**undi pertásus, Congregatióni Sanctíssimi Redemptóris adscribi pétiit; votíque compos factus, in id potíssimum incúbuit, ut Christum quam perfectíssime imitarétur. Ardens enim in eo erat oratiónis stúdiúm, mira labórum paciéntia, et tanta austeriórís vitæ aviditas, ut semper mortificatióne Jesu in córpore circumféreret. Alii, iniquébat, ália sibi exóptant; mihi hoc solum in votis est, ut Dei éxpleam voluntátem. Quam ob rem obediéntiæ ita se religiósus vir devóvit, ut a Congregatiónis régulis et moderatórum voluntáte numquam discéderet. Absolutíssimam hanc obediéntis ánimi virtútem sæpe Deus miráculis illustrávit; e quibus illud sane memorátu digníssimúm, quod Præpositórum étiam abséntium jussa atque íntima plácita cognósceret. Eo demum fervóris magnánimus Christi imitátor processit, ut consuétis, quæ in sancti Alfónsi familia nuncupántur, votis áliud maximéque árdum adjécerit, efficiéndi semper quidquid perféctius esse intelligeret.

**R.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. **Et.**

Lectio vi

**C**omes intérdum divíni verbi præcónibus ádditus, vel ad doméstica curánda negótia missus, animárum salúti ubíque locórum, cum férvidis adhortatióibus, tum fusis ad Deum præcibus prodésse stúduit. Plúribus virgínibus suá-sor atque auctor fuit, ut virgínium Sponso in sacris acetéris se consecrárent. Licet autem pópuli sanctam ejus vitam et supérna, quibus præfulgébat, dona passim demiraréntur, ipse tamen tanta erat cordis demissióne, ut ómnium se prædicáret misérírum. In perferéndis injúriis plane admirábilis, percutiéntibus se non semel álteram quoque maxíllam præbuit. At Deus, qui exáltat húmiles, fámulum suum grátia sanitátum, córdium scrutatióne, spírítu prophetiæ, mysteriórum intelligéntia, império in dæmones, omnigenisque supernaturálibus charismátibus exornátum volúit. Consummátus in brevi, labóribus et carnis maceratióne attritus, trigésimo ætátis suæ anno nondum exácto, gravi phthisi corréptus est; et sacraméntis reféctus, die et hora quas prædixerat, plácide



in Dómino obdormívit, anno millésimo septingentésimo quinquagésimo quinto. Eum, multis étiam post mortem miraculis clarum Leo décimus tértius Póntifex Máximus, Beatórum, Pius vero Papa décimus, novis accedéntibus prodigiis, Sanctórum albo accénsuit.

**R.** Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: \* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. **V.** Iste est qui contépsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. **Quia. Glória Patri. Quia.**

*In III Nocturno Homilia in Evangelium Nolite timere, de eodem Communi 2 loco.*

Die 3 Novembris  
S. HUBERTI

Episcopi et Confessoris

Duplex I classis cum Octava communi

*Omnia de Communi Confessoris Pontificis præter ea, quæ hic habentur propria (m. t. v.)*

Oratio

**D**eus, qui perénnem glóriam sancti Hubérti, Confessoris tui atque Pontificis, ánimæ contulisti: tribue, quæsumus; ejus nos apud te ita patrocíniis adjuvári, ut cum eo vitam possideámus ætérnam. Per Dóminum.

*In I Nocturno Lectiones Fidei sermo, de Communi.*

In II Nocturno

Lectio iv

*E vita per anonym. familiar. ap. Surium et monum. ap. Mabill. Gall. Christ. et Bened. XIV P. M.*

**H**ubértus, illústri loco natus, primum in aula Theoderíci, Francórum regis, comes palátii, ex cónjuge Floribértum filium genuit; dein de ad Pipinum de Heristallo se cóntulit, et sancto Lamberto in Trajecténsi episcopátu succéssit. Ab initio præsulátus facultates univérsas in egénos distribuit, et se totum caritátis officiis dedit: nam opprésos juvabat, inopum miserebátur, cárcere inclúsos, pœnis subjéctos invisébat et subsidio consolabátur: elemósynas autem, quas manu gestábat, ea ánimi pietate largiebátur, ac si Christo ipsi dedisset. Amáris lácrimis deflébat, quod sancti Lamberti prædecessóris sui mérita martyrii glória ássequi non liceret, quam débitam peccátis suis pœnam dicebat.

**R.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

Lectio v

**A**nno episcopátus sui decimo tértio, sæpe de cælo mónitus, Lamberti sacrum corpus Trajecto Leódium redúxit, et ibidem in loco mar-

týrii magna cum veneratióne recóndidit. Sedem étiam episcopálem, quam sanctus Servátius Tungris Trajectum transtúlerat, ipse Leódií fixit. Ejus ópera per Taxándriam a sancto antecessóre suo convérsam, et per vicinam Brabantiam, omnémque Arduénam réliqui adhuc idolólatræ ad veritátis agnitiónem pervenérunt: et subvérsis delúbris, idolisque confráctis, ecclésiæ christiáno ritu constrúctæ et honorátæ sunt. Cum acérrimo quodam cruciátu vexarétur, edóctus a cælésti nuntio, post anni verténtis círculum finem fore tribulatiónis, toto anno oratiónis, vigiliis et eleemósynis majóre stúdio vacabat: imménente autem témpore, quo a vínculo córporis solvéndus erat, Sanctórum memórias óbiens, per eórum suffrágia mortem suam Dómino commendábat et fratrum circumstantium intercessióne humiliter petébat.

**R.** Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

Lectio vi

**D**ie igitur Dominica febre corréptus, cum morbus semper augetúr, Ecclésiæ

Sacraméntis muníri pétiit, et de consueto oratiónum penso nihil omittens, Horas étiam canónicas persolvébat. Féria sexta subsequente jamjam moritúrus Sýmbolum Apostolórum, et oratióne Dominicam recitáre cœpit: sed pronuntiátis his verbis: Pater noster, qui es in cælis, in vico Fura ánimam Deo réddidit anno Dómini septingentésimo vigésimo séptimo. Corpus post áliquot annos Leódium máximo pópuli concúrsu dedúctum, et sæculi noni anno vigésimo quinto sine omni corruptiÓne inventum, ad Andaginénse, nunc Sancti Huberti in Arduénna, monastérium translátum est; ubi perénni miraculórum glória fulget, iis præcipue opituládo, qui ravidórum canum morsu læsi sunt: quales jam inde a sæculo nono immissa in frontem stolæ sancti Huberti particula sanátos esse, fide digna ejus sæculi monuménta testántur.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: \* Ipse intercedat pro peccátis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contépsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. **Ipse. Glória Patri. Ipse.**

*In III Nocturno Homilia in Evangelium Homo peregre proficiscens, de eodem Communi 1 loco.*



INDEX SUPPLEMENTI

	pag.
Dionysii Ep. et Mart. 9 Octobris . . . . .	34*
Gerardi Majella Conf. 16 Octobris . . . . .	36*
Huberti Ep. et Conf. 3 Novembris . . . . .	38*
Lamberti Ep. et Mart. 17 Septembris . . . . .	33*
Maximiliani Ep. et Mart. 12 Octobris . . . . .	35*

APPROBATIO

Concordat cum originalibus approbatis.

Osnabrugi, die 13 Augusti 1951

Nr. 178

† **Wilhelmus Archieppus.**

**Eppus. Osnabrugen.**

IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 20 Novembris 1951

**Joseph Franz**

**Vic. Gen.**